

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Nummotheca Principum Austriae

ex gazis Aulae Caesareae potissimum instructa, & aliunde aucta, quae a prima aetate, qua in Austria cusa fuit moneta Sub Babenbergicae Stirpis Marchionibus, Ad Usque Habsburgicae Gentis Principes, Lineae Hispano-Austriacae, Huiusque Masculum Ultimum Carolum II. Regem Hispan.

Complectitur tabulas aeri incisas num. XLI

Herrgott, Marquart

Friburgi Brisgoviae, 1753

[Text]

[urn:nbn:de:bsz:31-241482](#)

adiecta sunt, PHILIPPI patris imagine utcunque neglecta. Num. FERDI-
mi usuales, vel in Bohemia (47-49.) vel Hungaria (51. 65.), NARDUS
Austria quoque cis, (50. 53. 59.), & trans-Anasum (52.), L. IMP.
Carinthia denique (54--57.) & Tyroli (58. 62.) immo & Si-
lesia (66.) percussi, eorundem quoque regnorum ac provincia-
rum insignia, adiunctis non raro Hispanicis, preferunt: simulque
ostendunt, quantam FERDINANDUS pecuniæ vim tot in officinis
signari curaverit.

In utrisque autem, *Principis & Infantis Hispaniarum* titulis
(1. 2. 7. 62.), at circa annum 1562. postquam Rex Bohemiæ
& Hungariæ creatus fuit, *Infantis* solum titulo, sed perpetuo at-
que constanter, quantum quidem collecti a nobis nummi edocent,
usus est. *Vide plura apud STRUV. Periodo x. in CAROL. & FERD.*
Lod. DOLCE vita di Ferdinando primo; ceteros.

NUMMI MNEMONICI ET ICONICI.

I.

Tab. I. † FERDINAND. us PRINC. eps
ET. INFANS. HISP. *aniarum*. Caput Archiducis ad pectus cum
lorica, accisis capillis, pileo Ar-
chiducali tectum & dextrorum
conversum.

In aversa continuatur titulus
hunc in modum: † ARCHIDVX.
AVSTRIÆ. DVX. BVRGVNDIA. Scu-
tum, quod varias tesseras, *Au-*
stiacas, Burgundicas, Hispani-
cas, insueto ordine dispositas,
continet.

Etsi FERDINANDUS ab avo
materno, sibi cognomine, in
spem regni educatus, atque prioribus
testamenti tabulis heres &
successor ex ase scriptus fuerit:
Regi tamen, morti proximo,
proceres concordibus animis per-
suasere, ut mutato confilio re-
gna a se possessa in CAROLUM,
utpote natu maiorem, adeoque
sceptro aptiorem, transferret:
Hispanis interim FERDINANDUM,

TOM. II. P. II.

(a) GOMEZ. de reb. gest. Fr. XIMEN. lib. v.
extremo, Hispan. Illustr. Tom. I. pag.
1069. seq.

cum ob præclaram suavissimam-
que eius indolem, tum quod
apud se natus atque innutritus
fuisset, præ CAROLO amplexan-
tibus (a). Hunc vero populi
favorem, ut sibimet potius con-
ciliaret CAROLUS, fratri specie
humanitatis, atque avi MAXI-
MILIANI, qui tum in Belgio de-
gebat, invisendi cauſa, auctor
exitit, ut anno 1518. illuc se-
cederet (b), ubi hic nummus
percussus videtur.

In eo *Principis & Infantis Hispaniarum* titulis utitur, quorum
ille primo Regum Hispaniarum
filio, certoque heredi, uti SEL-
DENUS docet (c), competit:
hic vero reliquis utriusque sexus
liberis. Id quod non eo animo
factum, ut fratrem, quocum
ipſi optime convenerat, regno
unquam exclusum vellet; sed ut
ius suum in omnem eventum far-
tum tectum, ut fit, conservaret.

Quamquam & illud non ne-
gandum, FERDINANDUM ob vo-
luntatem avi, præter spem mu-
tatam, adeo indoluisse, ut ea

A 2 pro-

(b) MASEN. anim. Hist. p. 21.

(c) Titul. honor. P. II. cap. III. p. m.
294.

a

b

c

FERDI- propter in morbum inciderit (a).
NANDUS Hunc *Principis* titulum ad an-
L. IMP. num usque 1526. quo LAD-
LAO Hungariae & Bohemiae Re-
gi successit, usurpavit; ut non
tam ex nummis ipsis, mox sub-
iiciendis, quam ex diplomatibus
b c (b) *Recessibusque* Imperii (c)
constat. Nam ex eo tempore,
priori honoris vocabulo negle-
cto, solum *Infantis* titulum, at
constantissime, ut ex omnibus
nummis, aliisque monumentis
publicis planum est, retinuit.
*M. Imp. au. pond. 5. duc. 5. se-
mis.*

II.

FERDINANDVS. DEL. GRACIA.
PRINCEPS. HISPANIARV. m. Prin-
ceps ex integro cataphractus, ac
galeam, superimposito pileo Ar-
chiducali, in capite gerens: dex-
tra vexillum, in humerum dex-
trum reclinatum gestans, cui a-
quila, scutum *Austriacum* in pe-
ctore præferens, impressa, e-
quo pariter armato insidens, a
dextris sinistrorum vehitur. Por-
ro in phaleris equi crux *Burgun-
dica* cum ignitabulis (de quibus
Parte huius tomī prima passim
egimus,) & infra sub pedibus no-
ta chronologica 1522. apparent.
Denique in phalerarum fimbria
obscura vox: VERTINA legitur,
de qua mox dicendum.

In aversa tituli FERDINANDI
sic continuantur: ARCHIDUX.
AVSTRIE. DVX. BVRGVNDIE. ET.
CARINT. bie. Scutum maius
quadripartitum, in medio areæ
collocatum, pileoque *Archidu-
cum* tectum, circumdante illud

(a) FLECHIER hist. du Card. XIMENE, Tom.
ii. lib. iv. p. 3.

(b) Vid. DU MONT. corps diplomatique.
Tom. iv. P. I. p. 469. & 70.

torque aurei velleris, omisso ta-
men ipso vellere. Continentur
eo insignia *Austriæ*, *Burgundia*
nova & vetera, *Habsburgi*, *Le-
gionis*, *Arragonie* & *Sicilia*.
Claudunt illa varia minora scu-
ta, in margine posita: *Austria-
cum*, pileo Archiducali fastigia-
tum, *Carinthiacum*, *Tyrolense*,
Carniolia, *Alsatia*, *Würtember-
gia*, *Austria* trans Anasum,
Habsburgi & *Styria*.

Convenit inter rei numma-
riæ peritos, nummum hunc FER-
DINANDI Archiducis, in nume-
ro Uncialium primum esse, quo
se *Ducem Würtembergia* cum ve-
xillo Imperii spectandum pre-
buit. Hunc nempe Ducatum
Cæsar CAROLUS V. a sociis Suc-
vici foederis parata pecunia com-
paraverat, pulso inde anno
1520. ab iisdem confederatis,
ob interceptam *Reutlingam*, UL-
RICO Duce, eique anno 1521.
FERDINANDUM fratrem admini-
stratorem præfecit, qui & anno
in sequenti, finitis comitiis No-
rimbergensibus, quibus una
cum uxore interfuit, illuc pro-
fectus, atque *Stutgardiam* so-
lemni pompa invectus, Ordines
cum suo, tum fratri nominis
sacramento fidelitatis adstrin-
xit, ut fusius describit CRUSIUS
(d). Hinc in præsenti nummo,

d

in eius rei memoriam, ut qui-
dem videtur, percusso, sub
S. R. I. *Vexilliferi* specie, quæ
dignitas Ducibus Würtembergiæ
ab antiquo competit, repræsen-
tari voluit, ut recte MELLENIUS
(e) indicat.

e

Quam

(c) Reichs-abschied ad an. 1521. 1526.

(d) Chronic. Suev. P. III. lib. x. cap. xi. p.
m. 197. seqq.

(e) Syll. numm. uncial. p. 42.

Tab. I. Quam vero idem Auctor, ac post eum LEHMANNUS & HANTHALERUS (a) de obscura seu voce seu figlis, VERTINA, in inferiori limbo phalerarum equi expressa, afferunt coniecturam, eam scilicet pro symbolo Archiducis: *vt fert Divina voluntas*, accipiendo, nobis longius quæsita videtur. Nam præterquam quod ista expositio pro arbitratu sit facta, assumendo pro libitu non litteras modo, sed integrum quoque vocem *voluntas*, figlis illis nequaquam expressas: ex aliis etiam capitibus improbanda videtur; tum, quia nondum expeditum est, utrum FERDINANDUS symbolo illo unquam usus fuerit; tum, quia lemma istud neque ad imaginem, nec ad rem ipsam, in cuius memoriam nummus prodiit, quidquam adludit.

Denique difficile haud erit, ex iisdem figlis alias atque alias extundere sententias; quocirca tamen magnopere timendum, ne veritati non minus accedemus, quam qui vocales quinque a FRIDERICO Placido pro symbolo usurpatas, exponere conati sunt, antequam genuinum earundem sensum Cl. LAMBECIUS (b) secundum ipsius Imperatoris mentem detegret.

Eius commatis sunt tres hæ sequentes: prima prædictas figlas sic explanat: *VERTamus IN Austriam*. Postquam scilicet FERDINANDUS res Würtembergiæ constituerat, Austriam petiit, eandem quoque, ex rebellione proximis annis resurgentem, cum in fide, tum in ordine confirmaturus.

(a) Wiener-münz p. 22.

Altera hanc sententiam con-

FERDI-
NANDUS
I. IMP.

ficit: *VE xillum Romani tenet imperii natus Archidux*. Hac expositione significatur accessio Ducatus Würtembergici, una cum eius dignitate & officio, ad Domum Austriacam. Eadem quoque ratione intelligitur, cur pectori, piætæ in vexillo *Imperi aquilæ*, impressa sit parvula *Austriæ* honoraria.

Tertia denique hunc in modum exprimi posset: *vicarius est regis ET (contractis videlicet litteris T & E, ut alias in nummis fieri solet) in imperatoris nostri Augusti*. Hæc coniectura ex eo firmari videtur; quod CAROLUS v. in Hispanias ad componendos ibidem exortos tumultus abiens, FERDINANDUM fratre Vicarium suum in Imperio constituerit.

Verum hæc singula nobis meri lusus ingenii videntur; nec facile in animum inducere possumus, ut credamus, præter consuetudinem, cum in nummis Austriacis generatim, tum etiam speciatim in nummis FERDINANDI receptam, hoc loco litteras singulas singulis esse verbis redendas. Quare errorem potius artificis hic obversari iudicamus, ita ut mutatis duabus modo litteris, nomen FERDINANDI prodeat. Vertatur nimirum v. in f. & t. in d. & res confecta erit. Similem enim orthographicum errorem observare licet infra num. xxxii. ubi in FERDINANDI nomine, exemplo prorsus æquali, FERTI, pro FERDI legimus: ut taceamus alia eiusmodi sphalmata eodem num.

A 3 XXXII.

(b) Vid. dicta Tom. I. p. 9. & 83.

FERDI- XXXII. necnon num. XXXIII. &
NANDUS XXXIX. atque alibi occurrentia.
I. IMP. Proclive etiam erat vel moneta-
rio, vel phalerarum pictori in no-
mine FERDINANDI; utpote quod in Hispania frequentatum, tunc
primum in Germania innotescer-
e coepit, contra orthographiam
peccare. Nec obest, quod hoc modo nomen FERDINANDI, in
adversa positum, repetatur in a-
versa; quippe cum idem quoque
inferius num. XVII. fiat. Atque
hinc est, quod ultimam hanc
interpretationem, nativam quippe,
atque magis naturalem, re-
liquis preferendam ducamus:
Lectoribus nihilominus liberum
relinquentes eligendi arbitrium.

Ceterum de eodem nummo
egit quoque TENZELIUS (a).
Is FERDINANDUM ut *Vicarium*
potius *Romani Imperii*, quam ut
Ducem seu Administratorem Ducatus Würtembergiae, vexillum ge-
stare autumat. Verum quia Archidux eodem insigni deinceps u-
sus haud est, licet eadem dignitate
ad annum usque 1531. quo Ro-
manorum Rex electus est, functus
fuerit, atque in eiusdem Vicaria-
tus memoriam alias nummus,
ut deinceps videbimus, cufus fu-
erit, in quo tamen similis aquila
haud representatur: standum
potius videtur supra laudatae
MELLENII sententiae. Notari hic
quoque meretur nummus FER-
DINANDI I. *Würtembergicus*, in
catalogo Nummophylacii Mo-
lano-Böhmeriani (b) ita de-
scriptus: FERDI. ARCHIDVX. AVS.
Clypeus *Austriacus*. DVC. WIR-
TEMBER. 1527. Clypeus in quo
tria cornua cervina. in ar. val.

(a) Monathliche unterred, ann. 1693. pag.
242.

I. gros. Similem describit CRU-
SIUS (c) de anno 1523. Po-
stremo nummi huius elegantia
facit, ut eum augustioribus illis,
seu mnemonicis nummis adnu-
meremus; præsertim etiam, quod
non in argento solum, sed in
auro quoque habeatur. M. D.
de FRANCE aur. I. unc. 2. dr.
MELL. p. 41. sed non optime
delineatus. *Obser. Hamburg. an.*
1705. p. 321.

III.

ANNE. REGINÆ HVNGARIAE.
Effigies ANNÆ iuvenili ætate,
vittatae & calantica obtecta, a
sinistris dextrorsum.

Damus hic numnum AN-
NÆ, LUDOVICI II. Regis Hunga-
riæ ac Bohemiæ sororis, cuius
memoriae iam anno 1515. signa-
tus fuit nummus maioris formæ,
quem Parte I. huius nummothe-
cæ in nummis MAXIMILIANI I.
habes Tab. XII. num. XXX. Hæc
quippe FERDINANDO I. iuncta est
matrimonio anno 1521. quod
signandis aliis nummis occasio
fuit; ut ex sequentibus patebit.
De *Regio* titulo, quem hic usur-
pat, numero mox insequenti di-
cemus. M. Imp. ar. pond. I. dr.

IV.

EFFIGIES SER. enissime ANNE.
HVNKA: riae REGINE. ARCH: iducis
AVSTR: ie DVCISS: & BVRGV. ndiae
COM. itis TYRO. lis. ANNO AE-
TA: tis SVÆ XX. Typus hic præ-
cedenti minoris formæ haud ab-
similis. Sed hic appetet iam ut
coniux FERDINANDI cum titu-
lis *Austriacus*. Annus ætatis XX.
in umbone signatus, coincidit
cum

(b) P. III cap. VI, sect. 19. n. 634.
(c) loc. cit. p. 198. in fin.

Tab. I. cum anno Christi 1523. ANNA enim eodem anno, quo FERDINANDUS, lucem adspexit, nata scilicet 1503. xxv. Iulii, ille x. Martii.

Regina Hungariae titulus cum hic, tum in præcedenti nummo, immo & in duobus sequentibus, ANNÆ constanter tribuitur: et si ex adiectis epochis manifestum omnino sit, eosdem vivo adhuc fratre, atque Hungariæ ac Bohemiæ regnis solo imperante, percussos. Hinc docemur, Regum Hungariæ filias (quid ni & filios?) *Regis* titulis, et si regno haud fruerentur, uti consueuisse, id quod amplius patet ex nummis ANNÆ, ALBERTI Ducis Bavariæ coniugis, infra Tab. v. n. LXXIX. & LXXX. producendis.

Ceterum hoc ipsum numisma aversa olim, seu potius adversa facie non caruit; quam enim hic singularem exhibemus partem, ex tabulis HERÆI eductam, ea ad nummum, sequenti num. vii. depictum, pertinet, ut testatur integrum numisma, quod hisce duabus partibus constans, atque tres uncias cum duabus drachmis appendens, in manus nostras primum pervenit, cum eius singulæ partes tabulis nostris incisæ iam escent. T. H.

V.

FERD: inandi ARCH: iducis AVSTR: iæ ET ANNE HVG: aria REG. inæ CONIVGV M EFFIGIES. ÆTA: tis VTRIVSQUE. ANNO. XX. M.DXXIII. Imagines FERDINANDI

(a) Vid. Diar. Cuspin. de congr. MAXIMILIANI & trium Regum, in FREHER. Tom. II. & insertum denuo a Cel. MATTH. BELIO,

& ANNÆ coniunctæ. Ambo in FERDI-
NANDUS capitibus coronas, ut videtur, laureas gestant, & Archidux præ-
terea pallio amictus, vellus por-
tat aureum, a collo suspensum.

In area media partis aversæ siglæ conspicuntur, litteris F.
& A. id est FERDINANDUS &
ANNA, eleganti torqui velleris aurei inclusæ.

Iam anno 1515. avo MAXIMILIANO vivo, nepotum uni, vel CAROLO, vel FERDINANDO in celebri illo Trautmansdorfsi, postea Wiennensi, trium Regum ULADISLAI Hungariæ, LUDOVICI Bohemiæ, & SIGISMUNDI Poloniæ, cum MAXIMILIANO I. Cæsare congressu, promiserat filiam suam ANNAM, Rex Hungariæ ULADISLAUS II. quæ etiam FERDINANDO obtigit, & per successionis in Hungariam ius, occiso ad Mohatzum fratre ANNÆ LUDOVICO, in ipsum derivatum fuit (a). M. Imp. ar. pond. i. unc. 3. dr. *

VI.

Adversa plane convenit, cum adversa prioris.

Aversa exhibit navem ex-
pansis velis, & homines, qui se laverant, nunc autem vestes propere induunt. Sedet ad littus piscator, hamo pisces fallens.

Videntur fortasse Rex & Re-
gina in Danubio, ludicra aliqua
navigatione exhilarare animum
voluisse; vel Ordines Hungariæ,
nuptias Reginæ, cum Archiduce
institutas, in Danubio festiva qua-
dam navigatione, solemnni ritu
celebrasse.

Nam

Decadi I. Apparat. ad hist Hung. tanq.
Mon. vi. adde. P. I. huius Nummothe-
c. p. 33. num. xxx.

FERDI-
NANDUS
I. IMP.
Nam etsi hæ nuptiæ iam an-
no 1521. & quidem Lincii ce-
lebratæ fuerint ; facile tamen
crediderim sponsos , postea in
Hungariam adventantes , cum
aliqua solemnitate exceptos fuis-
se, et si altum ea de re apud Histo-
ricos sit silentium. *M. Imp. a. fus.*

VII.

EFFIG. *ies FERDIN: andi PRIN-*
CIP. is ET. INFANT: is HISPAN:
iarum ARCH: iducis AVSTR. iæ &c.
RO: mani IMP: erii VICAR: ius
ANNO ETAT: is SVE XXI.

Protome Archiducis fere ut
num. præcedenti: nisi quod hic
laureæ loco, latum pileum gerat.
Iam supra ad num. IV. monui-
mus, hac atque altera, quam eo-
dem loco recensuimus , parte,
unum integrum numisma confici,
quod modo in nummotheaca no-
stra asservamus. ANNÆ ætatis
annus vigesimus , FERDINANDO
primus & vigesimus tribuitur,
cum tamen uterque uno eodem
que , uti iam diximus , anno
nati sint. Sed exinde nummi
ætas eruitur. Is nempe intra illud
spatium fabrefactus est, quod in-
ter decimum Martii anni 1524.
quo FERDINANDUS , & vigesi-
mum tertium Iulii , quo ANNA
hanc lucem primo vidit, excur-
rebat. Tum enimvero Archi-
dux annum ætatis primum &
vigesimum inchoaverat, & coniux
eius viginimum pene comple-
verat. Patet itaque, illum an-
no 1524. durantibus ipsis co-
mitiis Norimbergensibus , quæ
FERDINANDO præside an. 1523.
exeunte incepta , & anni infe-
cuti die VIII. Aprilis absoluta
a fuere (a) , cusum , seu confla-
tum , atque ibidem distributum
(a) SLEIDAN. lib. IV. ad an. 1524.

fuisse. Hinc etiam est, quod in co-
dem titulum *Romani Imperii Vi-*
carii gerat; quippe, quod præcla-
ro eo munere tum maxime fun-
gebatur. *M. Imp. ar. pond. 2. unc.*

VIII.

Adversa pars præmissa cruci-
cula hanc perigraphen præfert:
FERDINAND: o D: ei G: ratis
HVNG: ariae BOEM. iæ DAL. matia
CROA. tia zc. (et cetera) REG. i.
INF. anti: quæ in altera nummi
facie hunc in modum comple-
tur, atque una integrum titu-
lum conficit : HISP. aniarum
ARCHID. uci AVST. rie DVC. i
BVRG. undia zc. (et cetera) CO-
MIT. i TIROLIS.

In priori parte appetet Rex
coronatus, armatus, atque e-
quo insidens, e cuius pectore
pannus pendet, parvulam præ-
ferens *Austriacam*: dextra sce-
ptrum tenet, sinistra frœnum.
Stant ab utroque latere proce-
res vexilliferi, alter *Bohemie* &
Hungaria, alter *Austria* vexil-
lum tenens. Alii ad pedes ia-
cent provoluti, sacramentum
quasi fidelitatis præstantes.

Aversa pars scutum maius
quadripartitum, *Hungaria* &
Bohemie insignia alternatim re-
ferens, ostendit, impressa supe-
rius æra Christi 1. 5. 2. 8. Huic
imposita est parma denuo qua-
dripartita. I. quadrans a sum-
mo bipartitus, *Austria* insignia ,
nec non *Burgundia veteris* con-
tinet. II. quadrans repetitas *Ca-*
stilia & *Legionis* tesseras comple-
ctitur. III. sectus *Arragonie* &
Siciliæ utriusque arma ostendit.
IV. denique exhibit *Burgundi-*
am novam & *Brabantiam*, addita
in

Tab. I. in imo *Granatae* tessera. His omnibus superimposita parvula minor, aquilam *Tyrolensem* referens.

LUDOVICO, FERDINANDI affine, anno 1526. infelici apud Mohazium prælio, paludibus suffocato, omnis cauſſa & ius successionis regnorum *Hungariae* & *Boemiae* ad FERDINANDUM summa æquitate derivatum fuit; atque adeo fine dubio præſens numisma Hungaricæ coronationis, licet anno 1527. iam peractæ, cauſſa percussum fuſſe tenemus. Hinc Clar. *HANTHALERUS* (a) eundem ex adposita Christi æra cuſum fuſſe coniectat ad redditum ac introitum FERDINANDI, accepta corona Hungarica, in urbem Vindobonensem: quod certe inscriptio in dandi caſu concepta, confirmare videtur; unde ſcili- cet credibile fit, numisma a ci- vitate Wiennensi fuſſe oblatum. Ceterum quam graves conten- tiones, quanta bella, quantæ cædes, & strages, huius succeſſionis cauſſa, ortæ fuerint, quanto ea ſanguine ſteterit Austriacis, eius rei tristem memoriam hiſto- ria conservat. LOCHN. a. 1738. p. 273. *Observat. Hamburg.* ad an. 1702. p. 289.

IX.

FERDINANDVS. DEI. GRACIA. HVNGARIÆ. BOEMIÆ. ET. C.ROATIÆ REX. ANNO. DOMINI. M.D.XXIX. ETATIS. SVÆ. XXV. Protome Regis, pallio induiti, & caliptra operti, ſinistrorum conversa, pendente a collo insigni ordinis aurei velleris.

Aversa hanc inscriptionem, TOM. II. P. II.

(a) Wienn-münz pag. 23.

(b) Vid. ADRIANI Epochas Habsb. ad hunc an. & Auctores infra ad n. LXXVIII. laudat.

ex verbis S. Scripturæ contextam FERDI- exhibit: DA: MIHI: VIRTUTEM: NANDUS.

CONTRA: HOSTES: TVOS: DOMI- NE QVIA. TV ADVITOR. MEVS. ES. Parma a ſummo bipartita eſt, ſiftens insignia *Austriae* & *Castiliae*. Hanc circumdant qua- tuor aliae, in decuſſim poſitæ, teſſeris *Hungariae*, *Boemiae*, *Croa- tie*, & *Dalmatiae* insignitæ. Sin- gula porro ſcuta ſunt coronata.

Divinum hic auxilium implo- rat FERDINANDUS contra Turcas, qui a IOANNE ZAPOLIO exciti, Hungariæ ingenti exercitu im- minebant, & dato Hungaris in Regem eodem IOANNE, Stri- gonium occuparunt; indeque ſubactis interiacentibus locis, Wi- ennæ ducentorum millium ex- ercitum admovebant (b).

Eodem Lemmate uſus quo- que eſt CAROLUS V. (c) per verba: DA MIHI VIRTUTEM CONTRA HOSTES TVOS. LUCK. p. 29. X.

FERDINANDVS. HVNG. ariæ ET. BO. hemiæ REX. ARCHI D. ux AVST ria. Protome FERDINANDI arma- ta cum corona in capite, dextra ſceptrum tenentis, ſinistra glo- bum Imperii, cruce inſtructum.

Aversam ſequens inſcriptio implet, ſex lineis absolute: CO- RONATVR. IN ROM anorum RE- GEM. AQVISGRANI XI. JANVA. rii ANNO. M. D XXXI. Moneta eſt in populum miſſa, cum obti- nuiffet CAROLUS V. pro fratre FERDINANDO, Romanorum Regis dignitatem, in comitiis iam Au- gustanis 1530. quæſitam. Elec- tio ſecuta fuit Coloniae 1531. die v. Ianuarii (d), & coro-

B natio

(c) MELLEN p. 38. & in nummis CAROLI V. P. I, huius Nummothecæ p. 98. n. LXXVIII.

(d) SLEIDAN Lib. vii. p. 203.

b

c.

d

FERDI-
NANDUS
I. IMP.
natio Aquisgrani die xi. eius-
dem mensis, quamvis Elec-
torum Saxoniæ & Brandenburgi
suffragia anno demum 1534.
a accesserint (a). M. Imp. ar.

XI.

Idem nummus ac præcedens,
eiusdemque est argumenti, sed
typus variat; in adversa nam-
que sceptrum & globus hic non
inveniuntur. *Ibid. ar. 5 ap.*
LUCK. p. 75.

XII.

Protome FERDINANDI & AN-
NÆ iugatae. Ambo coronati,
atque ordinis aurei velleris tes-
sera conspicui, ad levam con-
versi sunt. Ille præterea arma-
tus, hæc stolata videtur, nulla
adiecta epigraphe.

Aversæ aream hæc inscriptio
explet: FERDINANDVS. ET. AN-
NA. ROM. anorum HVNG. aria
BOHE. mia REX. ET REGINA. AR-
CHID. uces AVST. ria DVC. es
BVRG. undia ZCE (et cetera).

Eidem sine dubio anno num-
mus hic, cui prior, debetur;
saltē post annum 1531. cūsus
fuit, quo Rom. Rex creatus
iam fuerat FFRDINANDUS.

Illud in adversa singulare,
quod utrique, Regi scilicet &
Reginæ, torques aurei velleris
adposita sit. Paullo infra num.
xvii. recurret similis fere typus,
b anno 1536. fabrefactus. (b) M.
Imp. aur. 4. duc. M. BUOL. ar.
fus. pond. 3. dr. M. S. B. e.

XIII.

FERDINAND. us d. ei g. ratia
ROM: anorum HVNG. aria BOEM. ia
REX. ETC cetera ARCHID. ux
AVSTRIE. Effigies Regis togati

(a) STRUV. Per. x. p. 1084.

(b) Confer dicta a nobis in hanc rem P. I.

adversa fere fronte, cum pileo ^{Tab. I.}
in capite, fissuris & nodulis ex-
ornato, & torque aurei velleris
ab humeris suspenso.

Hunc quoque iconicum
nummum occasione inaugura-
tionis in Regem Romanorum
prodiisse persuasum tenemus;
tum quod FERDINANDUM sin-
gulari quodam ornatu, tum eo
oris habitu fistat, qui anno
1531. quo, ut diximus, co-
ronatus est, facile respondeat.
M. Imp. ar. pond. semunc. 2. dr.

XIV.

Adversa protomen Regis pal-
liati, vitta, & corona obtecti,
atque tessera ordinis aurei velle-
ris insigniti exhibit: a sinistris
dextrorsum. Perigraphex fa-
cris litteris mutuata sic fluit:
COR. REGIS. IN. MANV. DOMI-
NI. EST. PROVER. biorum 21.

In aversa aquila simplex, a-
pertis faucibus, exhibetur inter
æram Christi 1532. cum peri-
graphe: AQVILA ROMANI IM-
PERII SIMBOLVM. Impressa pe-
ctori parma, Austriae & Castiliae
insignia referente.

De occasione & argumento
nummi nihil certi licet affirma-
re. Cl. tamen KOEHLERUS, loco
infra citando, coniicit, illum a
civitate quadam imperiali, Au-
gustana Confessio addicta, percus-
sum fuisse, quæ ex pace Reli-
gioſa, qua sanctum fuit, ne
cui Religionis cauſa lis intenda-
tur, aut molestia creetur, spem
conceperit, fore, ut Romanorum
Rex, Deo cor eius ita di-
ſponente, Lutheranæ ſectæ ho-
minibus placabilior reddatur,
quam eum paullo ante fuisse

per-

p. 60. col. 2.